

- 5 Ille per aetatem teneram carnis levitatem
Vincere non potuit, sed prius occubuit.

XXXII.

Pene relativa sunt mors et vita, quod horum¹

Lex perhibet, ratio iudicat, usus habet.

Sed quia mors posita vitam non ponit, in istis

Fallere seu falli nescit Aristotiles.

- 5 Mors vitam perimit, duo sunt haec inmedia(ta)²,

Nam medium moriens Albero non habuit.

Iunius hunc rapuit, geminos cum sole tenente

Ipsa kalendarum fulsit in orbe dies.

Huic pius aeternam requiem donet miserator

Et lux perpetua.

XXXIII.

Carnis vertigo que sit, sua monstrat origo:

Dum cinerem sequitur, dum cinis efficitur.

Sic cinis effectus iacet hoc in pulvere tectus

Hartwicus³; sit ei gratia larga dei!

XXXIV.

Quisquis ad haec, lector, oculos epitafia vertis:

Quid sit homo potes indicis advertere certis.

Funde preces pro me nec te lascivia tardet⁴,

'Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet'⁵.

Qui Fromoldus eram, modo sum cinis; ergo levamen

Sit deus, a poenis animam qui liberet. Amen.

XXXV.

Quid nisi pulvis homo, nisi ros, nisi flos, nisi vermis;

Exul et absque domo, res vilis, iners et inermis.

Vita quid est hominis? nisi putredo? nisi fenum,

Terra, favilla, cinis! quid sunt, quid habent nisi cenum?

- 5 Ergo canonicus, qui nunc iacet hic tumulatus,

Prespiter Heinricus primi pro labe beatus

Nunc vigeat, nunc obtineat caelestia dona,

Possideat caelum, subeat radiante corona!

1) Dieser Vers ist kaum richtig. W. W. 2) 'inmedia' c., verb.
von W. W. 3) 'Hantwicus' c. 4) 'tridet' c., verb. W. W. 5) Horat.
Epist. I, 8, 84.